

# **Landesbibliothek Oldenburg**

## **Digitalisierung von Drucken**

**Johannis Mulmanni, SS. Theol. dum viveret, Licent.  
eiusdemq[ue] Prof. Publ. ord. ad D. Nicolai Archi-Diac. &  
Alumnorum Electoralium Ephori, in Academia & Ecclesia  
Lipsiensi, Commentarius In Librum ...**

**Mülmann, Johann**

**Dresdæ, MDCCI**

**VD18 10367071**

**Caput XXII.**

**urn:nbn:de:gbv:45:1-18377**

## CAPUT XXII.

**C**onstitutâ jam in pace universâ terrâ, remittuntur 2. tribus in terram Orientalem, qvæ ab initio fratres suos adversus gentes armis adjuvandi causa unâ prodierant, ut audivimus supra cap. 1. Ad devitandam autem & cavendam omnem apud posteros religionis alienæ suspicionem, ædificant in Israelicæ religionis memoriam, altare prodigiosæ molis. Unde tribus Occidentales Apostasiæ suspicionem animo concipientes bello eas delere cupiunt: Sed de intentatione earum certiores factæ à vindicta sibi temperant consiliis mutatis.

*Partes capituli due sunt. 1. est ἀναπομπὴ i. e. remissio tribuum auxiliarium in terram suam usque ad v. 10.*

*2. est συμβολὴ consilium seu institutum arma illis intentandi usque ad finem capituli,*

*De I. Parte.*

Consideranda h̄c iterum veniunt duo, 1. forma dimissionis.

*2. Reditus ipse in patriam v. 9.*

Dimittit Josua 2. tribus 1. cum rerum præclarè gestarum commendatione, cuiusmodi est  
 1. obedientia cùm sibi, tūm Mosi declarata v. 2.  
 2. fidelitas, qvod non reliquerint unquam fratres

v. 3.

3. pietas, qvod ad imperium Domini se morigeros præstiterint, v. eod. Inserit autem Josue causam dimissionis *ωραὶ γρηγορίου* qvæ est, qvia propter pacem

F fff 3

fra.



fratribus datam imposterum non est opus bellis ac præliis.

II. Remittit eas Josue domum, *cum salutari commo-  
nēfactione*, ut secundum divinæ legis præscriptum  
perpetuō vivant. Illustrat hīc Josue veram obedien-  
tiā 1. *à subjectis*, partim enim præstatur illa interius  
attentè in omni corde & in omni anima: partim exte-  
rius opere i.e. recta locomotivæ gubernatione. 2. U-  
titur *distributione* principalium officiorum, qvæ sunt  
1. diligere Dominum, qvod est affectus. 2. ambulare  
in ejus viis, hoc est operis. 3. adhærere DEo, qvod est  
constantiae & perseverantiæ. v. 5.

III. Remittit eas *cum amplissima benedictione* v. 6.  
precando scilicet abeuntibus *περιουσίᾳ*: sanctorum  
Angelorum, pacem, omnemq; in terra sua prosperi-  
tatem. Subjungitur autem *κατ' ἐπειθόλην* divisio ter-  
ræ Canaan in Orientalem & Occidentalem v. 7.

IV. Remittit eas *cum liberalissima donatione*, jubens  
illas omnium rerum ad vietum & amictum necessari-  
arum viatico probè instructas redire: Additur ratio-  
*ñ fine*, ut etiam cum fratribus, qvi belli tempore domi-  
manserant, prædæ partem participant v. 8. Jam se-  
cundo loco redditus ipse describitur v. 9. & significan-  
tur I. qvo tribus domum reversæ fuerint.

II. terminus *à quo*, hīc est Siloh in Canaan,  
III. terminus *ad quem* est terra Galaath,

### De II. Parte.

*Secunda pars tria sub se complectitur.* 1. *Ἐχυβλίαν*  
i.e. celerem & præcipitem belligandi voluntatem. 2.  
Causæ *ἰξέσονται* seu *inquisitionem rei*; 3. *ὑπερβλάπτιον* i.e.  
consilii mutationem.

Cau-



*Causa* suscepti de bello fratribus movendo consilii est ædificatio ingentis altaris, per certos nuncios delata v. 10. Ad investigandam autem extrecti operis causam viros honoratissimos mittunt. Incidit hic duplex oratio in genere Judiciali, una est καληγορία seu κείλαστρον i. e. constans accusatione & objurgatione; altera est διπλογία i. e. defensoria, in qua orientales tribus se defendunt.

In Exordio captant legati benevolentiam à suo officio, prætendentes mandatum & jussum totius populi v. 16. Hæc mandat omnis populus Domini.

*Propositio* est duplex: una habet objurgationem ob altaris extrectionem, & à vero cultu defectionem: altera continet pœnæ denunciationem, v. 18.

Prior propositio confirmatur ab exemplo abominandæ idolatriæ, cum Israëlitæ initiati sunt Moabitico idolo Baal Begor, qvæ macula populo multos hucusque annos adhæsit v. 17. & punivit DEus idoli istius cultores, ita ut omnes contereret numero 24 000. Vide Num. XXV. Deut. IIII.

Altera propositio amplificatur bifariam, 1. οὐδεὶς αλήγοντες: Si Orientales defectionis causam in locum transferentes dicant: Quid terra possessionis nostræ est immunda, v. 19. respondent Occidentales: Esse potius è terra emigrandum, qvam idolatria DEum offendendum v. eod. 2. αἰνολογία à minore ad majus: Achæan unico sacrilegio non tantum totam suam domum perdidit, sed etiam iram DEI super universum populum induxit, ut audivimus supra c. p. VII. i. Ergo multò gravior erit culpa eorum, qvi in unam idolatriam omnes conspirant. Orationem verò διπλασίαν



λογητικήν qvod attinet, afferuntur defensionis argumentaria.

I. Sumitur à testimonio DEI, ad cujus judicium & vindictam per gravissimam obtestationem Orientales Israelitae provocant & appellant v. 22.

II. Sumitur à causa impulsiva: Impulsi sunt ad hanc structuram metu futuri mali. Verebantur enim, ne, occasione à Jordane limitaneo interstitio utriusq; terræ captata, posteri ad Occidentem fratres ad Orientem olim à populi DEi cultusq; veri communione arcerent ac prohiberent.

III. petitur à fine: Altare hoc non est extructum ad sacrificandum, sed ut esset signum μνημονεύματος unius Ecclesiæ, populi & religionis v. 27. Amplificatur Confirmatio

1. Expolitione veri cultus DEi in offerendis sacrificiis positi v. 27.

2. ἀποστολή, qva διπλασία vitium objicientibus tanquam oculari testimonio resistendum sit, v. 28.

3. διπλωξία novorum cultuum cum institutione DEi pugnantium. Ad οἰκείαν s. consilii mutationem pertinent

I. facta legatorum, ut est

1. in suspectarum tribuum διπλογίᾳ consensio. v. 30.

2. ab objecto criminis absolutio v. 31.

3. Totius negotii ad reliquum populum delatio

v. 32.

II. Facta populi occidentalis sunt

1. Nuncii relati approbatio, v. 33.

2. Gratiarum actio. v. 33.

3. Armorum depositio, v. eod, Verba textus: Ne-  
quaquam ultra dixerunt &c.

III. Fa-



III. *Factum Israelis Orientalis*, qvi ad cavendam apud posteros ~~longaciam~~ suspicionem & devitandam offensionem altari nomen imponunt à finali causa v.  
34. V. Tex. Testimonium nostrum, qvod Dominus ipse sit Deus.

v. 3. *Longo tempore) à circumstantia temporis* exaggerat Josue obedientiam & fidelitatem Israelitarum Orientalium. Certum est autem ex cap. 14, 10. expugnationem Cananitarum durasse septen-

nium. Qvot autem anni distributioni terræ insunt fuerint, certum non est. Quidam ex Josepho septem itidem numerant.

v. 4. *Qvietae & pacem) Nomine* *quietis* innuitur desiderii complementum & finis motus. Desiderabant enim Israelitæ possessionem terræ Canaan ex DEI promissione & ad eam occupandam universo conatu ferebantur, qvam ubi nacti sunt, quietem habuerunt. Nomen verò pacis significat privationem irruptionum & insultuum hostilium.

v. 10. *Ad tumulos altaris in terra Canaan) Altare hoc extrectum non in parte Orientali, sed cis Jordanem in extremitate partis Occidentalis. Ratio.* I. Qvia Jordanis tumuli annumerantur terræ occidentali sup. c. XVIII, 18. Jam expressè dicit textus, qvod altare super tumulos istos ædificatum sit, v. 11. 2. Ratio ab intentione: Si ad Orientem positum tuisset, potuisset Jordan manere causa suspicandi defectionem aliquam à religione occidentali. Sed non debuit manere causa tale qvippiam su-

Gggg

spi-



spicandi. Ergo altare non fuit positum ad orientem.

*v. 12. Convenerunt omnes in Siloh)*

Iste locus propter tabernaculum Domini, ubi oracula reddebantur Exod. XXVIII, convenientissimus erat ad instituendas de rebus arduis deliberationes, qvæ fine divini auxilii invocatione non solent esse secundæ. Exempla extant plura supra cap. XVIII, & infra libro Jud. XX, 18. & XXI, 2.

*v. 16. Ædificantes altare sacrilegum)* Hebr. Altare, ut rebelletis hodie Domino, Nam DEus severè jussérat in loco sanctuarii sacrificia tantum administrare Lev. XVII, 4. Num. XXVIII, 29. Deut. XII, 5. & XVI, 2. reliqua verò ceremonia, ut circumcisio, celebratio Sabbati, & ab impuri tactu purificationes, qvæ ad certum locum non obstringebantur, poterant ubiq; observari.

*v. 19. Qvad est ante tabernaculum meum)* Dicitur hoc ad differentiam altaris aurei, in qvo adolebatur incensum aromatum intra tabernaculum Exod. XL, 5. Sed extra tabernaculum in vestibulo ejus situm erat altare holocausti, ne fuligine pulchræ cortinæ templi inficerentur. Vide ib. 6. & 28. It. Lev. I, 5.

*v. 30. Verba libentissimè suscepunt)* Partim qvia veritatis exploratio jucundissima est intellectui, qvem perficit, sicut bonum perficit

cis



cit voluntatem: partim, qvia jam gravi metu com-  
munis excidii liberati sunt.

### QVÆSTIO I.

*An rectè faciant Israelitæ, qvod ido-  
lolatras gladio delere cupiunt?*

Etsi culpâ non caret, qvod Israelitæ ex sola suspicio-  
ne aliquia fratribus bellum inferre cupiunt: tamen  
id rectè fit, qvod idololatriam vi extirpare parati sunt.  
Hoc enim mandat DEus ipse Deut. Xlll, 15. & XVll,  
5. ubi inquit: *Si inveneris certum esse, qvod dicitur, &  
abominationem hanc opere perpetratam in medio tui,  
statim percuties habitatores urbis illius in ore gladii &  
delebis eam.*

Hinc in nostris Ecclesiis adhuc agitatur qvæstio:  
*An hæretici & apostatae ad Christianam religionem cor-  
porali gladio sint cogendi?*

### Affirmatur.

Pontificiū id affirmant in conc. Trid. sess. 7. de Ba-  
ptismo Canone 14. *Si quis dixerit, baptisatos, ubi adolo-  
verint, non alia pœna ad Christianam vitam cogendos,  
nisi ut ab Eucharistiae aliorumq; Sacramentorum perce-  
ptione arceantur, donec resipiscant, anathema sit.* Hunc  
Canonem Bellarminius de Laicis lib. 3. cap. 21. sic ex-  
pli-  
cat, cum statuit, posse hæreticos ab Ecclesia damna-  
ri temporalibus pœnis, & etiam morte mulctari.

Qvam sententiam adverlarii probant 1. *Didicis ex V.  
T. ut Deut. Xlll, 15. XVll, 12. & XVlll, 12.*

2. Ex N. T. *similitudinibus: 1. Lupi sunt occidendi:*

Haec.



Hæretici sunt lupi Matth. VII, 15. & Act. XX, 29. E.  
hæretici sunt occidendi.

2. argumentum à simili. Fures & latrones occiden-  
di sunt.

Tales sunt hæretici Joh. X, 8.

E. sunt occidendi.

3. Cancer sanatur violenta excisione.

At hæresis est cancer 2. Tim. II, 17.

E. hæresis sanari deber violenta excisione.

III. Probatur dicitur expressis Matth. XVIII, 17. Si Ec-  
clesiam non audierit, sit tibi sicut ethnicus & publicanus.  
Deinde Rom. XIII, 4. Magistratus est DEI minister,  
vindex in iram.

IV. Probant ab exemplis. Saulis I. Reg. XXVIII, 3.  
Josiae 4. Reg. XXIII, 24. Nabuchodonosoris Dan. III, 96.  
Christi Joh. II, 16. Petri Act. V, 10. Pauli ibid. XIII,  
II. Ad hæc exempla addunt sua de combustione Joa-  
nis Huss & Hieronymi Pragensis sub Imperatore Si-  
gismundo in Concilio Constantiensi.

### NEGATIO.

Nos vero opponimus Pontificiis φιλαμάτοις seqq.  
rationes:

1. Qvia in N. Testamento destituimur mandato &  
jussu DEI.

2. Qvia Christus dicit Matth. XIII, 20. Sinite utraq;  
triticum & zizania crescere usq; ad mensem. Sed hære-  
tici sunt Zizania. E. sinamus eos crescere.

3. Luc. IX, 55. discipulos cupientes Samaritanos  
igne cœlesti consumere, ita alloquitur Salvator; Ne-  
scitis, cuius Spiritus estis?

4. Petrum volentem gladio uti, ita increpat: Mitte  
gladium tuum in vaginam Joh. XVIII, II. V. Pau-



V. Paulus jubet hæreticum post unam atq; alteram admonitionem devitare, non occidere Tit. III, 10.

6. Si Apostatas cogere licet ad religionem, non erit hac libera. Sed religio debet esse libera, alias planè abit in hypocrisyn. E. Apostatas cogere non licet externa vi ad religionem.

Auctor.

Ad explicandam & decidendam qvæstionem propositam de cogendis hæreticis opus est geminâ distinctione:

I. Aliter considerantur apostatæ & hæretici, qvà à vera fide deficiunt, ad qvam reducendi sunt non nisi spirituali verbi divini gladio: aliter qvà notorias & abominandas blasphemias adversus DEum eveneunt, nec non seditiones movent in imperiis & pacem publicam turbant. Ad cujus pestis medelam opus est corporali supplicio.

II. Distinguendum est inter officium Ecclesiae & magistratus politici: Ecclesia nullum alium habet puniri modum, præterquam spiritualem: Sed magistratus politicus haber potestatem etiam corporalium pœnarum atrocitate animadvertisi in blasphemos & seditiones. Jam respondeo ad Pontificiorum argumenta:

Ad primum: Dicta in Deut. sunt Levitica & singularia, qvæ nostram Ecclesiam non obligant, qyia in N. Test. nuspiam repetitur.

Ad secundum: Similitudines Christi & Pauli non tendunt eò, ut hæreticos occidamus, sed ut eos caveamus. Non enim dicit Christus: Occidite, sed cavete vobis à Pseudoprophetis: Et Paulus dicit: 2. Tim. II, 16.

Gggg 3 Pro-



*Profanas vocum inanitates devita: Sermo enim eorum ut cancer serpit. Et Act. xx, 28. Attendite vobis & universo gregi. Unde constat, finem allegatarum similitudinum non esse internecionem, sed attentionem, vigilantiam & cautelam.*

Quin imo si ex similitudine concludere liceret: & omnes recte credentes seu Christianos esse maestandos, propterea quod ibidem Joh. x. a Christo oves vocantur. Imo *Pontifex Romanus* esset cruci affigendus, quia se Petrum nominat juxta illud: *Zues Petrus &c.*

*Ad tertium: Dictum Matth. xviii. jubet pertinaces habere pro Ethnicis, sed hoc non est Ethnicos occidere. Ac Paulus Rom. Xlll. non loquitur de Ecclesiæ officio, sed magistratus potitici.*

*Ad quartum: Exempla V. Testamenti a Bellarmino citata congruunt Levitico precepto Deut. Xlll. Ergo nihil ad nos. Deinde exempla Novi Test. ex singulari & miraculozelo profecta sunt. Nam Petrus non occidit gladio ferreo, sed potentij verbo, quo etiam Paulus magum cæcum reddit, Act. xiiii. Quo in facto non potest eos imitari pontifex, alioquin intermisset dudum omnes Lutheranos anathemate suo, velut unico riectu.*

## *QVÆSTIO II.*

### *An statuæ & imagines in cœtu sacro sint toleranda?*

Negant *Calviniani*, ob eam in primis rationem, quæ extat Exod. xx, 4. Deut. V. *Non facies tibi sculptile, neq; omnem similitudinem.* Et Lev. xxvi, i. Nec sta-

III-



*tuam erigatis, nec insignem lapidem ponatis in terra  
vestra.*

### AFFIRMATIO.

Contra ex Textu nostro argumentamur ab exem-  
plo, cui adhæret ratio à minori ad majus:

Israelitæ tolerant & approbant altare à fratribus  
suis in symbolum & memoriam ejusdem religionis &  
cultus ædificatum:

Ergo nos in N. Test. statuas & imagines ad simi-  
lem finem erectas multò magis tolerare & approbare  
possimus. *Ratio Consequentia* est: qvia libertas Chri-  
stianorum in N. Test. est illustrior & amplior, qvām  
in veteri, ubi homines sub durissimo Levitic. ceremo-  
niarum jugo ingemiscabant A&t. XV, 10.

λόγοι.

Resp. ad Objectionem: Dicta allegata prohibent sta-  
tuas & simulacra non simpliciter, sed qvoad usum ado-  
rationis & divini cultus. Dicit enim DEus expressè  
Exod. XX, 5. Non adorabis ea, neq; cōles. Et Levit.  
XXVI, 1. Non statuam erigatis, nec insignem lapidem  
ponatis, ut adoretis apud eum. At extra hunc abusum  
verbo DEI contrarium non aversatur DEus statuas  
& picturas in locis saceris, si illis veluti symbolis rudi-  
or plebs ad moneatur & ad cavendam historiarū Ec-  
clesiasticarum oblivionem excitetur. Sic populus DEI  
in nostro textu non tantum altare ædificatum tolerat,  
sed etiam approbat, ubi intellexit, illud à fratribus ex-  
structum non sacrificiorum offerendorum causa, sed  
ad conservandam inter posteros in religione & cultu  
DEi unitatem.

Qvare



Qvare cum adversarii nobis qvoqve hac ipsa tempestate idololatriam exprobrant, respondendum ipsis est ad exemplum Israelitarum orientalium: *Nos imagines & statuas in templis nostris retinemus & fabricamus, non ut iis divinum invocationis cultum exhibeamus, sed ut sint signa & monumenta sanctorum, quos Deus olim Ecclesiæ suæ donavit, ut picturas illorum intuendo ad imitationem virtutum, quæ in ipsis eximie extiterunt, exuscitemur.*

## LOCI COMMUNES

*Theologici.*

### I. DE LEGE DEI &c.

I. *Lex DEI* reqvirit à nobis duplēm obedientiam internam & externam: Illam præstare debemus legem DEI attentè custodiendo, hanc verò opere complendo: ita ut illa ad hanc velut causa ad effectum suum dirigatur: Ideò enim, qvia anima morem gerit DEO, ut etiam ad externa opera ejus voluntati conformia prorumpat. Quem causarum ordinem indicat Iosue constructione qvadam verborum, cum dicit: v. 5, *Tantum custodite valde תְּשׁׁוּל* i. e. *ad faciendum* i. e. obseruate legem, ut eam faciatis & præstetis. Notetur autem in primis *vocula exclusiva*, qvam vetus verso omisit. קָר i. e. tantū, qvā verbum DEI à traditionibus humanis separatur, qvarum obseruatio non est cultus DEI (*θεοσέβδα*) sed *μαλασέβδα* Marc. VI, 7. & *ιελοθεητεία* Col. I.

II. *Objectum principale* veræ obedientiæ est dilectio DEI, unde velut ex radice omnes primæ & secundæ

ta-



tabulæ virtutes enascuntur & velut ex fonte scaturunt. Nam sine illa bona opera sunt meræ adulatio-  
nes & *ὑπερθαλυδωτειαι* i.e. obsequia ad oculos ungratiagn  
composita. Eph. VI, 6. Col. III, 22. At seria sunt operum  
studia, quibus dediti sunt ii, qui propterea rectè agunt,  
quia DEum diligunt: Unde Christus præceptum dilecti-  
onis primum appellat Marc. XII, 30. Et Joannes sine  
dilectione proximi inficiatur DEum diligi posse.  
I. Joh. I, 20.

III. Causa finalis legis significatur voce viarum. Nam  
legis præcepta dicuntur v.i.e. 1. ratione directionis: Ut  
enim via est norma eunti & ambulanti, extra quam  
divagari non licet, qui ad certum terminum aspirat:  
Ita præcepta divina legis sunt norma rectè vivendi &  
degredi in hac terrena peregrinatione. Huc respicit  
*David in verbis Ps. CXIX, 105. Lucerna pedibus meis*  
*verbum tuum, & lumen semitis meis.* 2. Sunt viæ ratio-  
ne termini: Ut enim viæ secundum eam ambulantes  
ad locum, quod cogitant, perducit: Sic præcepta DEi  
observatores suos in vitam æternam introducuntur.  
Sic enim Christus legisperitum Matth. XI, 17. *Si*  
*vis ad vitam ingredi, serva mandata.* Sed quia per na-  
turæ depravationem non valemus regimine legis sa-  
luti terminum conseqvi, confugiamus oportet advi-  
am Evangelicam, quam Christus nobis omnibus  
monstrat, Joh. XIV, 6. *Ego sum via, veritas & vita:*  
*nemo venit ad Patrem nisi per me.*

IV. Adjunctum legis divinæ est perseverantia in bo-  
no opere, & significatur in textu verbo adhærere.  
Hebræum est *κοντρι* i.e. *conglutinatus est*, unde German-  
icum per Metathesin literarum *Pact.* & *bacfen:*

Hhhh

Hinc



Hinc etiam latin. *pactum.* Ut enim r̄es conglutinatæ tenaciter cohærent: ita verè pii per sinceram fidem & firmam obedientiam D̄eo constanter adhærent, dicentes cum Davide ex Ps. LXIII, 9. *Adhæsit anima mea post te, in me suffulcit dextera.* Et Ps. LXXXIII, 26. *Mibi autem adhærere D̄eo bonum est:* Annitamur itaque præente gratia divina, ut in pietatis studiis constanter decurramus: Talibus enim parata est corona vitæ & glorie immarcescibilis Apoc. II, 10. I. Petr. V, 4. 2. Tim. IV, 8.

## II. De vera dilectione erga proximum.

*Exemplum* veræ dilectionis proponitur h̄ic nobis triplex:

I. In *Josua*, q̄i non vult solus pace cum vicinis tribubus frui; sed ideo Israelitas Orient. domum remittit, ut 1) & ipsi terræ suæ possessione fruantur.

2) Ut iis bene sit utique, bene dicit abeuntibus.

3) Instruit eosdem præclare divitiarum viatico, quārum partem reliquias fratribus domi jubet distribuere.

II. Exemplum in *Israelitis occidentalibus*, q̄i n̄ illico, postquam perpetratae idolatriæ iniqva ad eos fama dimanaverat, fratres armis infestant, sed per legatos prius cum ipsis agunt, ut de toto negotio recte erudiantur: Ubi vero fratum excusationem audiuerunt, magno afficiuntur gaudio ob rumoris falsitatem. Debet enim nobis proximi salus haud secus ac propria esse jucunda, sicut ē contrariō ejusdem miseria, perinde ac nostra, nobis acerba esto.

III. est in *Israelitis Orientalibus*, q̄i de vitandis disfidiis



fidiis maturè solliciti sunt, qvo ipso suam erga posteritatem curam haud obscure produnt.

### III. De sacrificiis.

*Sacrificiorum*, qvibus certus & destinatus erat locus peragendis, tria recensentur genera v. 23.

1. est *holocaustum*, qvod totum cremabatur Lev. I. 3.

2. est *sacrificium*, vocabulo specialiter accepto, qvod alias dicitur *ιλασικον* i. e. *propitiatorium* seu *piaculare* pro peccato & delicto Lev. IV. V. & VI.

3. est *pacificorum* & est vel *votivum* vel *ευχαερισμόν*, qvod in gratiarum actione positum est Lev. III. & VII.

## LOCI POLITICI.

### I. De commendatione & laude.

I. *De LAUDIS utilitate.* Prudenter admodum studet Josue Israelitas præstitæ obedientiæ commendatione ad continuandam legum divinarum obseruantiam excitare, siqvidem laus est virtutis præmium, qvo ingenui animi, veluti auditio classico, ad majora & altiora provocantur. Nam ut Seneca ait: *Genitos est animus hominis & facilis ducitur, quam trahatur.* Unde etiam Poëta canit:

*Excitat auditor studium, laudataq; virtus*

*Crescit & immensum gloria calcar habet.*

Sic Cicero ad Heren: lib. 3. *Si laus conseqvitur rectum,*  
*duplicatur recti appetendi voluntas.*

Sic enim eqvorum cursus hominū clamoribus incitantur & intonantium manibus agitantur, ut multis animalibus velocitas appellatur, quantum inde ho-



mines stimulari credamus, qvos ad laudem singula-  
rem incendimus.

Qvare, ut ille, dixit, ita vivendum est nobis, ut vivi  
laudabiles simus, mortui vero laudabiles simus.

### II. De commendationis autore seu causa efficiente.

Laudi Israelitarum addit hoc magnum pondus,  
qvod non a proletariô qvodam, sed a Duce & Prin-  
cipe commendantur. Qvippe hæc vera demum laus  
est, qvæ proficiscitur ab iis, qui ipsi in laude vixerunt,  
ait orator Romanus. Nam a malis laudari non laus,  
sed dedecus est.

### III. De materia et impulsiva laudis.

Ea est duplex in textu: I. πρόηχα i.e. obedientia er-  
gas superiores, qvales inter Judæos erant Moses & Jo-  
sue. Hanc virtutem Cyrus apud Xenophontem vocat  
μέγιστον ἀγαθὸν i.e. maximum bonum, in gubernatione.  
Et Aeschylus describit eam, qvòd sit οὐ τερπεξίας μάτιο,  
Δυνήσων i.e. mater felicium actionum & salutis fæ-  
mina. Alterum est εὐεργασία erga fratres, qvos in expu-  
gnandis hostibus fideles & constantes viderunt. Hæ  
virtutes laudem merentur maximè præ omnibus di-  
vitiiis, corporis venustate, & similibus in politia. Qva-  
propter laudum præconii afficiendi sunt, qvi se illis  
dignos præbent.

### II. De virtutibus optimi gubernatoris.

I. est fides, ut gubernator a promissis stet instar  
Josuæ, qui ab initio terræ occupandæ promiserat 2½:  
tribubus, confectis rebus omnibus, liberum ad suos  
re-



reditum. Vide supra cap. I, 15. idque nunc egregie præstat.

II. *Æquitas*, quam Josue in eo declarat, quod illos, qui se in officio ferendarum suppetiarum fideles præbuerant, diutius non detinet, nec eos spoliis vacuos domum remittit.

III. est *prudentia*. Nam Josue non patitur sese incerto rumore ad delendos fratres moveri, sed omnia ultrò citroq; explorat, an res nuncio respondeat, ne fontes inauditâ causa damnentur.

IV. est *pietas & studium religionis*, quo Josue adeò flagrat, ut ad omnem idolatriam gladio extirpandam paratus sit. Neque enim pii magistratus falsa dogmata permittant ditionem suam invadere, sed doctrinam salutis ab omnibus erroribus sartam tectamque conservare studeant.

### III. De militum officio.

*Milites* debent ducibus suis 1. *obedientiam*, ut ad illorum voluntatem vivant, sicut fecerunt Israelitæ Orientales.

2. *Non gerant bella* conseqvendæ rapinæ & latrociniū cupiditate.

3. *Durent in bello*, nec discedant, anteqvam à magistratu suo honorifice dimissi fuerint.

4. *Opes bello partas non dilapident & profundant* temere, sed comparcant sedulò, ut domum reversi suos muneribus ~~dimini~~ exilarare possint. Hæc omnia in Israelitarum dimissione sunt conspicua.

### IV. De præda distributione.

Prædæ partem aliquam curat Josue mitti etiam illis,



lis, qvi in terra Orientali. Qva in re imitatur Abrahamum, qvi à cæde Kedor - Laomor reversus ablata prædam cum Melchisedek sibi obvio partitur. Gen. XIV, 20. Sic David i. Reg. XX, 24. prædæ partem dimidiā erogare jubet illis, qvi ad sarcinas remanserant. Docemur autem hâc distributione, qvod utrumq; vitæ genus tam togatum, quam bellicum se-  
ctantibus sua debeantur præmia & merita: Omnes enim suis abundant curis & difficultatibus: nec tum quidem licet ociosis esse illis, qvi domi à bellis feriantur. Deinde nemo frustra adjuvat proximum in periculis, sed tandem DEo providente justam mercedem reportat.

#### V. Defama communi.

*Fama, tanquam fallaci testi, non est credendum facile.*  
Nam qvi facile credit, facile decipitur. Est autem fama nihil aliud, quam incertus rumor de reali qva-, plerumq; ex mala suspicione ortus, quemadmodum hîc de orientalibus Israelitis narratur, qvòd à vero DEi cultu defecerint, & quidem ex ea suspicione, qvia altare sine DEi mandato extruxerant in reditu: Cui rumori dum fidem habent cæteri Israelitæ, calumniis onerant fratres suos & funestum bellum ipsis inferre satagunt.

Hunc fructum in se habet fama vulgi, cuius pedisse-  
qua est suspicio. Qvare cautis ingeniis merito odiosa est. Hinc Seneca rectè admonet: *Contemno famam,* fama vix vero favet. Et Sirac. XIX, 4. facile credentes ita increpat: *Qui credit cito, levis corde est,* & minorabitur. Causam Ovidius exprimit, cum de fama canit:

Veris



*Veris addere falsa  
Gaudet, & è minimo sua per mendacia crescit.*

### VI. De judicio sapientis.

Sapientis est 1. judicare de proximi voluntate & moribus non secundum famæ indicia; sæpè enim fit calunnia.

2. non secundum externum opus, qvia definendum & discernendum unumq; à fine.

3. non secundum delatorum autoritatem,

4. non festinare: sed judicare secundum rei veritatem & agentis intentionem: Temerarium enim est, qvod israelitæ de bello adversus fratres deliberant, causa nondum satis explorata & cognitâ, & qvod ex solâ altaris structura de ipsis apostasiæ suspicionem concipiunt. In eo vero laudandi sunt, qvod ad executionem non festinant, sed per legatos de universo negocio & rei veritate erudiri cupiunt v. 13. In tanti momenti negotio utilis sanè est mora, ut emendentur consilia præcoccia & immatura.

### VII. De audienda altera parte in judicio.

Josue non vult prodire in aciem, anteqvam fratribus resonponsem & excusationem audivit. Nam *judex utramq; partem pari attentione audire debet*, ne quis præter culpam ad supplicium trahatur. Hac de causa mandat DÆus judicibus, ut qværant sollicitè, nec nisi diligenter rei veritate perspectâ ad excusationem properent Deut. Xlll. 14. Hoc significare voluit Alexander Magnus, unam aurem apertam admovens aetori, alteram verò manu occludens, tanqvat reo reservaturus.

### VIII. De



*VIII. De apologiis & defensionibus.*

Acerba erat qvidem iudæorum Occident: objurgatio, qvam tamen falso delati tanta animi moderatio ne audiunt, ut in adversario nullum convicium regerant.

I. Non caret fructu, nec iustitiæ contrarium est, si quis adversus calumnias defendat se, in re præsertim religionem & conscientiam concernente, ne intempestiva patientia obrestatorem in malitia confortemus, aut aliis famam nostram deseruisse videamur. Exempla vide in *Christo & Apostolis*.

II. Adhibenda est modestia in defensione, ne acerbitate affectuum non necessaria litem non componamus, sed augeamus. Nam ut *Euripides* in *Hippolyto* ait: Φεῦ Φεῦ ἤ σω Φέγν δόξαν εὐ βεβλῶς καὶ μίξει τοι. i.e. heu! heu modestia quomodo ubiq; gloriā bonam inter mortales affert.

III. Ad defensionem assumantur argumenta firma. Nudis enim verbis nihil proficitur.

IV. Defensiones legitimæ sunt recipiendæ & approbandæ &c.

*IX. De Juramentis.*

Israëlitæ Orientales cum se nudis verbis defendere non possunt, advocant DEum in testem. Unde discimus juramenta non esse adhibenda, nisi deficientibus aliis probationibus necessitas adeò urgeat, qvam obrem juramenti finis controversiæ vocatur Hebr.6,16;

*X. De gratitudine erga DEum.*

Pro tribus agendæ sunt DEo gratiæ in foro, I. Si veritas



ritas hominum sinistris rumoribus penè sepulta & obruta tandem in lucem revocatur Ps. XXXVI, 6. II.  
Si innocentes suspicionibus probrosis liberantur. III.  
Si peccata devitantur, ex v. 31.

*XI. De errorum correctione.*

Israelitæ de veritate causæ rectè informati, malo proposito abeunt. Sic errores nemo teneat mordicūs: Sed DEo potius laudem & veritatis gloriam e-mendatione vendicet. Nam, ut *Augustinus* dicere con-suevit: Errare humanum est, perseverare autem in-peccato diabolicum. It, *Cic.* in *Philipp.* *Cujusvis ho-minis est errare, nullus nisi insipientis perseverare in errore.*

## CAPUT XXIII.

**U**bi Josua animadvertisit, se à vitæ suæ termino proprius abesse, indicit celeberrimam παν-γυεων, in quo omnibus præsentibus modum & viam reliquæ terræ occupandæ præscribit, eumque ostendit esse positum in vera pietate & obe-dientia erga legem DEi: Nam si eam unicè & fideliter observaverint, tantâ florebunt belligandi felici-tate, ut vel unus Israelita mille Cananæos in fugam convertere possit: contrà si ab eadem sceleratè defe-cerint, & abominationibus gentilibus sese contami-naverint, tandem DEi adversus se furorem experien-tur, ut subito vel è medio tollantur, vel qui superstites fuerint, inimicorum sævitia veluti laqveis, flagellis & spinis miserè vexentur.

*Iii*

*Par-*

